DE

SENSUUM EVOLUTIONE PRODROMUS.

DISSERTATIO

NAUGURALIS PHYSIOLOGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

RATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,

PRO SUMMIS

N MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS,

DIE V. M. JUNII A. MDCCCXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RIDERIC. GUILIELM. WAGNER,

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

A. STEINBECK, MED. ET CHIR. DD.

W. HORN, MED. ET CHIR. CAND.

C. KUH, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO,

EXPERIENTISSIMO,

ERNESTO HORN,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REGI BORUSSORUM A CONSILIIS INTIMIS MEDICINALIBUS, PROFESSORI P. O. IN UNIVERSITATE LITERARIA ET IN ACADEMIA MILITARI MEDICO-CHIRURGICA BEROLINENSI, COLLEGII LITERARII PRO RE MEDICA IN MINISTERIO RERUM ECCLESIAST. SCHOLAST. ET MEDIC. MEMBRO, ORDINIS AQUILAE RUBRAE ET CRUCIS FERREAE EQUITI, MEDICO APUD BEROLINENSES PRACTICO, PLURIUM SOCIETATUM IN GERMANIA, HELVETIA ET FRANCO-GALLIA SODALI ETC. ETC.,

PRAECEPTORI ATQUE PATRONO SUO

AD CINERES USQUE VENERANDO,

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Accipe, Vir honoratissime, hoc opusculum, quod, quam sit exiguum, nemo me magis potest sentire et hoc temporis momento, quo Tibi, uti benigne permisisti, dedicaturus sum perspicue et evidenter tenuitatem intellexi, cujus causa non sine animi anxietate publici juris fieri jubeo libellum, nomen Tuum, ab omnibus tam celebratum, prae se ferentem, nomen, quod magno jam abhinc temporis spatio me sacra quadam reverentia implebat. Quum vero Te ipsum noscere mihi contigerit, cum ex ore tuo permissum esset, praecepta Tua cupidissime imbibere, cum familiari Tuo usu non indignum me putaris, cum reverentia illa quotidie crescente, amor et cultus Tui, quo glorior, conjunctissime sese ligavit. Et fidens Tuae erga me benevolentiae, tam saepe manifestatae, in mentem venire po-

tuit, Tibi, quod in animo haberem, publice dicere, Tibi, pro amicitia, benignitate atque humanitate, gratias quascunque possum agere, ut exoptatissimo desiderio satisfaciam, et fidens Tuae indulgentiae audeo haec, ex terra fere adhuc incognita Tuo judicio submittere, haud ignarus, in tantis voluisse, sat esse, nec magni aestimans istos, qui e compendiis jam satis percantatis, novam quandam, ut dicunt, dissertationem, conscribere non haesitent.

Faxit Deus, Optimus Maximus, ut in omnium rerum, quae vitam exornant, abundantia diu adhuc vivas, et ad extremam usque senectutem integris viribus et hilari animo gaudeas.

Vale mihique fave! —

Organis sensuum et partibus genitalibus cum rebus externis ita in reactionem venit organismus, ut concipiat et gignat, et quamvis absentibus illis, per se existens mente cogitari, minime tamen physice gignere, nec mente genitus formari posset. Est itaque mas, si spectamus ambos circulos, hermaphroditus, et femina modo femina. Organorum sensuum principium fecundans irritamentum est externum, ex quo imaginationes prodeunt et voluptates; sexus affectiones ipse mas non femina procreat; dum physice ille gignit, principium inest ei femininum sentiendi causa perceptiones per sensum, femina quoad functiones genitales et sensuales semper permanet femina. Hoc modo organa sensus et partes genitales organismi sunt parasiti, animi perfectionis et generis propagationis media, cui vero procreandi organismos actioni sapientissima, ut secure maneat soboles, libidinis aculeum atque voluptatis conjunxit natura.

Quod attinet ad sensuum organa, evolutionem eorum evidentem cognoscimus in animalium serie, et uti videtur singulorum eorum circulorum, in singulis animalium ordinibus recessum et aequalem aliarum procidentiam [1]), concordem eorum evolutionem, quibus hominis animus excolitur.

Character essentialis cujuscunque sensus [quem praeter sensibilitatis organon (subjectivitatem) et jam irritamentum (objectivitatem) accedere de-

---

1) *Tiedemann* Zoologie, Tom. I. pag. 101 seq.

Homo una cum mammalibus plurimis et maxime excultis gaudens sensibus, ab his differt aequali sensuum organorum evolutione et perfectione. In mammalibus aequalis illa evolutio evanescit, hic alius sensus magis praevalet, ille magis recedit, quo magis hoc sensus organon excultum est, eo magis illud caret perfectione. Canis e. g. longe superat olfactu hominem, recedit tactu, nam digiti parvi, parum mutabiles, egeni nervis, et densa cute longisque unguibus praediti. In simiis tactus organa, digiti longi et cute tenera nervosa circumfusi, contra olfactus debilis, nam nasus est parvus et sinus frontales plerumque deficiunt. Cervorum et antilopum genus, acutissime ut constat audit, quemadmodum jam aures permagnae se ostendunt, e contrario minor est gustus, cum lingua nervis careat majoribus. Felis superat animalia permulta visu, olfactu vero et gustu ab aliis superatur etc.

bet] tactus est vel in ipso contactu, vel ex longinquo, tactus vero omnia [1]).

Aequabiliter tactus fieri potest ex longinquo, quo singulae sensuum sphaerae explicantur nec non necessario evolvuntur, et ad summum perfectionis gradum in homine modo conspicitur.

Quibus externis sensibus oppositus est internus, qui in homine dilucide cognoscitur, in animalibus animo tantum persentitur; internus sensus, totalitatis, ut ita dicam, sensus (Totalitätssinn, *Walther*), Coenaesthesis (Gemeingefühl, *Reil*), sensus universalis [2]) (allgemeiner Sinn, *Treviranus*), qui et objectum et subjectum in ipso or-

---

1) *Treviranus* Biolog., T. VI. p. 174—177.

Trembley, Mém. pour servir à l'hist. d'un genre de polype etc. p. 66.

Backer, Nat. Hist. of Polype p. 68. No. 81.

Dicquemare, Philos. Transact. Y. 1775.

Tiedemann in J. F. Meckel Archiv f. d. Phys. T. I. p. 175.

Configliachi Monografia de proteo anguino di *Laurenti*. p. 33.

Digby, Tractatus de natura corporum.

Mém. sur les Sourds-Muets de naissance. Par *Bouviers Desmortiers*. à Paris, an VIII.

History of *J. Mitchell* a boy born blind and deaf. By *J. Wardrop*. Edinb. 1813.

2) *Treviranus*, Biolog. T. VI. p. 178 seq. et p. 324.

ganismo habet [1]), in externis sensibus huc illuc sese manifestat; proclivitas et aversio prodit, in universum, qui sensibus virtutem imprimit, nec non eorum vitale est principium; et si ex hujus nexu cum aliis atque ejus diffusione conjici licet [2]) forsan in quinto pari nervorum residet [3]).

Saepissime fit, ut debilitato seu abolito sensu altero, alter mirum in modum perficiatur ita, ut deperditum quodammodo restituat; quod ipsum sensus totalitatis efficere dicitur [4]). Et animalium instinctus ab isto sensu totalitatis certissime originem repetit [5]).

---

1) *Walther* Physiol. §. 371.

2) Vermischte Schriften von G. R. und L. C. Treviranus Th. III. S. 135. Ueber die Nerven des fünften Paars als Sinnesnerven.

3) *Treviranus* Biolog. T. VI. p. 186. p. 190 — 191 p. 78 — 79.

Ibid. T. V. p. 336.

4) *Treviranus* Biolog. T. VI. p. 177 seq.

History of *Mitchell* l. c.

5) Froriep Notizen IX. 9. Ueber das Wesen des Instinkts von Oliver French.

Reimarus über die Triebe der Thiere.

Rösel Insektenbelustigung. Bd. III. S. 213.

M. Fiedler Reise nach dem Australlande, übersetzt von Götze. Weimar, 1816. S. 391. 405.

Reil über das Gemeingefühl, S. 174.

Quodsi tactus sensus in animalibus in plures partes peripherice diffunditur et centrum in cerebro habet evolutio in organisatione eruenda erit, quod hisce obiter assequi conabimur.

Omnes sensus in membranis nervosis locum obtinent [1]), et si has praesentes videmus, illos adesse conjicimus et vice versa. Quo magis animal excultum est, eo magis sensus (a nonnullis sensus exploratorius nuncupatus, quo res externae in spatio modo mechanico percipiuntur) sub integumentis communibus situs recedit [2]), et ad minores partes restringitur; ideoque totum animal

---

Darvin Zoonomie, übersetzt von Brandis. Bd. I. S. 336.

Tulpius observat. med. Lib. I. cap. 15.

Brandis Pathologie S. 441.

Osiander über die Entwickelungs-Krankheiten in den Blüthenjahren des weiblichen Geschlechts.

Dicquemare l. c.

Pallas novae species quadrup. p. 106.

C. A. Schmidt, Versuch über die Insekten. Bd. I. S. 47.

1) Meckel Handbuch der menschl. Anatomie, Bd. IV. . 1901. Nr. 4. 5. Bd. I. S. 569 — 626.

2) *Treviranus* Biolog. T. VI. p. 203.

Non papillae ut nonnulli autumant ad tactus sensationem sunt necessariae.

Lyonnet traité de la chenille de saule, p. 68.

Meckel l. c.

tactus sensum esse [1]) polypi, et nonnulla, repetitionis instar, amphibia (angues) exemplo esse possunt. Idem clarius in inferioribus animalculis observatur, quod eorum membranam internam in externam et externam in internam mutare valemus [2]). Quodsi hoc fieri potest, utrique membranae aequales functiones computandas esse, neque ullum adhuc inter mucosam et tactus membranam discrimen adesse facile cuivis in mentem venit. In superioribus vero animalibus hic sensus arctioribus finibus circumscribitur, et in homine digitorum modo apices mobiles quamvis minimum, tamen perfectissimum organon, primarium omnium sensuum sunt [3]).

Quum vero statim membrana externa characterem alium induat et ab interna differat (productis scilicet epidermide, mucosa membrana cum ejus appendicibus, pilis, unguibus, dentibus), novus sensus exsurgit, quem, ne cum priori opposito mechanico vel exploratorio confundatur

---

1) *Treviranus* Biolog. T. VI. p. 174.

2) Meckel Archiv für Physiologie, Bd. VII. S. 2. Physiologische Deutung von der Verdauung von Polypen. *Treviranus* Biolog. T. IV. p. 333.

3) *Buffon* hist. nat. T. IV. p. 379.

chemicum insignire mihi liceat. Prodit nimirum gustus et olfactus, aut quod idem est, sensus digestionis et respirationis, attamen uterque, quod eorum actio requirit in contiguitatate manet [1]).

Non diu autem natura hanc simplicitatem observat, tamen character mucosus retinetur. Quam primum enim palatum apparet unus idemque sensus in duas discedit partes, in olfactum et gustum, simul respirationis et digestionis organa prodeunt, quae prius conjuncta fuisse, hepar testimonium exhibet, quod in abdomine respirationis organon, sanguinem abstergit. Alter sensus res stillantes fluidas perscrutatur, quae rursus in eum vim exercent; alter gasiformes dignoscit et persentit [2]). Ad sensus nunc sepa-

---

1) *Meckel* l. c. hanc sententiam priori defectu palati in foetu humano verosimiliorem reddere studet.

2) Hic locus non est demonstrare hepar in secretione bilis nihil aliud, nisi purgare sanguinem, et ad nutritionem aptiorem reddere (ad quem solum scopum respirationis organa destinata sunt), ideoque bilem ratione modo negativa prodesse. Principalem autem hepatis functionem contineri in eo, ut sanguini partes demantur phlogisticae, ex sequentibus apparebit.

1) Evolutio hepatis et organorum respirationis semper modificata nobis apparet pro singulis. Hepar molluscorum, si pondus respicimus, partem sextam vel sep-

ratos, quos tactus mutata eorum membrana genuit, varii patent aditus, scilicet nasus externus et os. Eorum affinitas et primarium connubium eo adhuc probantur, quod nonnullae substantiae percipiuntur utroque sensu, quorum membranae mucosae invicem transeunt et utrique communes sunt. — Respirationis (olfactus) superiorem lo-

---

timam sui ipsius habet, et plures secundum Cuvier tria jecora habent; in pluribus minima modo bilis pars in ventriculum et tubum intestinalem evacuatur. Pisces in medio parca aëris atmosphaerici quantitate praedito degunt et omnes pollent, si cum aliis animalibus comparaveris, majori hepate quam aves et mammalia. Sic plerumque amphibia impurum aërem inspirare coacta, magno jecore praedita sunt. Eadem ratio in avibus obtinet locum. (*Tiedemann* Zoolog. Tom. II. p. 491.) Mammalia in genere hepate gaudent parvo, ita ut, quo puriorem inspirent aërem, eo minus possideant hepar.

2) In animalibus somnum hibernum habentibus, respiratione inter somnum paene sublata, bilis continuo secernitur, quae ad chyli formationem tunc temporis silentem minorem exercet vim, quam ad propriam sanguinis mixtionem.

3) Foetus pulmonibus non respirat, chylus imperfecte perficitur et tamen mature magnum hepar oritur bilisque secernitur.

4) In omnibus morbis ex respiratione laesa vel ex mala aëris constitutione originem ducentibus, aut cibis et potulentis hydrogenio abundantibus productis, uti in affectionibus pulmonum, in rhachitide et cyanosi etc. hepar ingente mole et bilis secretionem adauctam experientia invenimus.

cum tenet quam sensus digestionis (gustus); nam reagit in res magis jam aethereas. In gustu iidem nervi motum et sensibilitatem constituunt [1]), singula autem puncta (papillae) ad perceptionem restricta sunt, ideoque magis excultus et concentratus apparet quam diffusius propagatus tactus (sensus mechanicus proprie sic dictus). In magis exculto et evoluto respirationis sensu pars sentiens a movente, ut transitus in altiorem sensum insigniatur, quoad spatium separata est, formato naso et larynge qui sonos creare, atque his, quae cogitata sunt, cum hominibus communicare aptus sese manifestat. Loquela moventem respirationis sensus partem, ad summam sensus actionem extolleret [2]), si haec magis effectus cerebri affectionis esset [3]), (sicuti hydrops morbi cujusdam symptoma est, nec ipse morbus). Res ita cum

---

1) *Burdach* Physiologie, §. 529.

Sprengel institut. physiolog. L. II. c. 7.

Richerand Physiologie, §. 128.

Böhmer Beschreibung des neunten Gehirnnerven-Paars. §. 50.

Meckel Archiv für die Phys. Bd. VII. S. 3.

Dr. J. C. Bauer über den Bau der Zunge.

2) *Walther* Physiologie des Menschen T. II. §. 542.

3) Die Affen sprechen nichts, sagt *J. Lordat* Anatomie du sing vert. p. 80., weil sie nichts zu sprechen haben.

se habeant larynx majorem modo indicat perfectionem, et nonnisi mechanice, non sponte agit.

Membrana autem mucosa in formato respirationis sensu nequaquam ad summum perfectionis gradum pervenit; tactus quidem in ipso contactu supremum assecutus est locum [1]), sed vim quoque suam per longum spatium exercere vult; principium movens sensus respirationis (laryngis) in animalibus sonus, in hominibus loquela percipitur, et hanc ob rem natura tactus sensum per aërem [2]), vel si verbo uti licet, sensum aëris (Luftsinn), id est auditum, procreavit, in cujus organa continuatur membrana oris et nasi mucosa, cujusque organi primordia jam in mutis inveniuntur animalibus. Auditus neutiquam olfactus evolutione (aut principii ejus moventis) exoritur, usus vero laryngis, auditu (sensu aëris) pro-

---

1) Einige Bemerkungen über die Physiologie des Sprechorgans, vorgelesen in der literarischen Societät in Nottingham den 3. Jan. 1825 von Marschall Hall, a Journ. of science literature and the arts, No. XXXVII. Lond. 1825.

2) *Treviranus* Biolog. T. VI. p. 177: Das Ohr ist ebenfalls für eine Art mechanischer Einwirkung empfänglich, insofern es im Allgemeinen durch die Schwingungen der Luft gerührt wird.

prodit, ita ut, si tempus et evolutionem in animalium ordine spectes, primo, sensatio in respirationis sensu, deinde aëris sensus, et tandem organon movens in respiratione exorta sint. In quo recens nato sensu [1]), membrana mucosa, quae in hucusque descriptis modo topice sentiens reperiebatur, summum perfectionis gradum attigit; quae ad ejus materialem partem non pertinent, persentit, immateriales ut dicunt tantum aëris motus percipit, dum prius descripti sensus solum materiem perscrutare valebant. Primum hoc sensu, quod huc usque locum non habuit, communicatio intellectualis fieri potest. Sensui respirationis movendi et sentiendi facultate impertitum est, res adpetere et avertere, quae virtus accessu sensus aëris, tanquam prius formati, majoris fit momenti. Aëris sensus similis est digestionis et respirationis sensui, quod ex ejus fundamento membrana mucosa, quae functiones suas altius tendere nequit, conjici potest. — In digestionis sensu iidem nervi motum et sensationem perficiebant, quod prae omnibus in sensu exploratorio elucet; in sensu vero altius ascendente, i. e. respirationis, nervi jam sunt separati, et sensus, dimensionibus remotis, ipsi sunt a se

---

1) *Meckel* Archiv für die Phys. Bd. VII. S. 2. Aufsatz von J. Swan Ueber die Physiologie des Ohres.

remoti; ut natura finem propositum assequatur, dislocatione opus erat, et assecuta est facili negotio in sensu aëris magis immateriali, in quo sentientes et moventes nervi clare distincti et parvum spatium coacti agunt; et primum nunc in circulum organorum sensuum nervus sympathicus absque dubio transit [1]).

Numne evolutio membranae mucosae, cujus notionem nobis paravimus, et quae spirituali modo hominem cum rebus externis nectit, sufficeret? — Minime! Omnes membranae, quae in corpore occurrunt, conjungi debebant. Mucosa vero interiit, nonnisi in morbo ex aliis exoriens, novas creari oportebat, utrumque systema ner-

[1]) Experientia sententiam reddit verisimilem, nervum sympathicum ad halluccinationes deficere nullo modo posse, et laesa conjunctione systematis sympathici cum cerebrali procreari eas. Hallucinationes saepe transeunt in amentiam et maxime aegritudines omni sanationi pertinacissime resistentes, et quo magis nervi cerebrales cum sympathico, uti in oculo et aure conjunguntur, eo frequentius et distinctius inveniuntur, multo rarius vero in organis sensus vegetationis, in olfactu et gustu, in quibus superior nervorum nexus incertus vel saltem admodum debilis est, et nondum evictus in tactus sensu paucis praedito nervis.

vorum in eodem organo in unum cogebantur [1]); motus hujus organi ad summum progrediebatur gradum; mentis communicatio et loquela absque sono et sine probandis functionibus persentiendae sunt. Ad hoc summum propositum, progressive in animali, perfectissime in humano pervenit oculo, producendo sensum lucis (Lichtsinn), cui quidquam forsan plane absolutum irritamentum inest. Istud organon, aethereum, quod ut adsit minime necesse est, cujus vero absentia aegre fertur, corpus ad summam evexit perfectionem, et in superioribus animalibus, ante omnia in homine, fit animae speculum, et vera imago sensationum.

Systema autem membranarum serosarum sese in adnata oculi, fibrosarum in sclerotica reiterat, quod inferius quibusdam in morbis mucosae characterem induit. Iris membranam musculosam [2]) se praebet vitae vegetativae, membranae intestinali similem, eidem musculi externi oculi

---

[1]) *Froriep* Notizen, Bd. XI. S. 12.

Einige Beobachtungen über die Ausbildung des Gesichtssinnes von D. Cecconi.

[2]) Vermischte Schriften von G. R. und L. C. Treviranus, Bd. III. S. 166. 167.

Mém. sur l'organisation de l'iris et l'operation de pupille artificielle, à Paris et à Genève 1812.

sunt oppositi, vitae animalis testes. Carbonio abundantes membranae interpositae respirationis organorum symbola praebeant, et ubique ad interiora recedens systema nervorum cerebri, summae organisationis solum exemplum, membrana nervea prodit [1]). Pellucidi humores hic formationem osseam nondum perfectam ostendunt, cui in morbis tantum (in cataracta e. g.) appropinquant. Formationibus imperfectis, cum nutu et repetitione conjunctis, organisatio redditur perfectissima, et subjective, ut ita dicam, et objective [2]), et quidem plane contraria aure, in qua ossium formatio, uti in oculo partium mollium praevalet.

Singuli sensus in singulis animalibus prouti eorum vivendi ratio postulat vario modo fortiores, in excultissimo vero animali perfectissimam

---

1) *Graefe* und *v. Walther* Journ. Bd. VII. S. 3. Beiträge zur Anatomie des Auges von Dr. Salomon in St. Petersburg.

2) Göthe zur Naturwissenschaft, Bd. II. Th. 2.

Das Sehen in subjectiver Hinsicht von J. Purkinje, 1819.

Rust Magazin, Bd. XX. S. 2. Neue Beiträge zur Kenntniß des Sehens in subjectiver Hinsicht von J. Purkinje.

omnium harmoniam videmus; qua homo solus gaudet, et hac harmonia et aequali tactus evolutione solummodo ejus animus excoli potest, ita quidem, ut ratio, forsan sensuum progenies superior evadat et continuo sensibus frena injiciat. Quod si hanc vim in homine nacta est, educatio fausta evenit.

Et sic naturam videmus continuo nisu ad hanc tendere perfectionem, cui praeter hominem nihil respondet; prima autem rudimenta jam in vermibus reperimus, qui omnium sensus actionum basin i. e. tactum, possidet. Ad omnia, quae felici eventu uti debet, evolutio necessaria est harmonica.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS ADJECTUM.

Fridericus Guilielmus Wagner, die IX. mensis Mart. a. MDCCCI. Vratislaviae natus sum, patre optimo Christiano Theophilo, hujus urbis cive, et matre dilectissima Elisabetha e gente Springeriana, quam praematura morte ereptam semper lugebo. Rudimentis literariis domi imbutus, annum fere agens decimum quintum, Gymnasium, quod Vratislaviae floret semperque floreat, Magdalenaeum adii et per quinque annos frequentavi, unde rite dimissus Gymnasii Elisabethanei discipulis sum adscriptus. Cursu scholastico per septem annos absoluto, et examine, quod iis, qui ad altiora studia progrediuntur, superandum est, superato, mense Octobris a. MDCCCXXII. ab Illustr. Steffens, tunc temporis Rectore magnifico, inter cives universitatis Viadrinae Vratislaviensis receptus, a viro Illustr.

Remer, tunc Gratiosi Medicorum Ordinis Decano maxime spectabili, Medicinae studiosis adscriptus sum. Ex eo inde tempore hasce Illustr. virorum pralectiones frequentavi: Illustr. Wachler, Historiam universalem et praelectiones de vita academica bene instituenda. Illustr. Schneider, Ciceronis epistolas.

Cel. Hinrichs, Logicen, Goethii Tragoediam, quae Faust inscripta est.

Cel. Lichtenstaedt, Hodegeticen studii medici, C. Celsi librorum de medicina interpretationem. Illustr. Fischer, Chemiam theoreticam et practicam. Illustr. Treviranus, Botanicen, physiologiam plantarum animaliumque comparativam me docuit atque excursionibus botanicis interesse benigniter mihi concessit.

Cel. Henschel, Pharmacologiam, Pathologiam generalem et specialem.

Cel. Klose, de morbis psychicis.

Illustr. Otto, Anatomen theoreticam et practicam, comparatam, zoologiam; osteologiam et syndesmologiam, anatomiam et physiologiam foetus humani, de modo sectiones cadaverum forenses rite instituendi.

Illustr. Purkinje, Physiologiam, Physiologiam et pathologiam organi visus, pathologiam psyches, et physiologiam, quae dicitur experimentalis, evolventem audivi.

Illustr. Wendt, de materia medica, de aquis Germaniae medicatis, de intoxicationis et asphyxiae doctrina disserentem audivi.

Illustr. Remer, Therapiam generalem, methodum formulas medicas concinnandi.

Illustr. Benedict, Chirurgiam specialem, Ophthalmiatricen, doctrinam de fasciis et instrumentis chirurgicis mihi tradidit.

Autumno a. MDCCCXXIV. Berolinum me contuli, ubi ab Illustr. Rudolphi Rectore Magnifico die XXIX. Octobris inter numerum civium academicorum receptus, atque ab Illustr. Link, t. t. Decano maxime spectabili, medicinae studiosis adscriptus, et in hac alma literarum sede celeberrimorum doctissimorumque virorum me auditorem glorior.

Illustr. Horn, Therapiam specialem morborum tam acutorum quam chron., Pathologiam specialem, morbos syphiliticos et morbos psyches docenti me interfuisse semper gaudebo.

Illustr. Hufeland, Therapiam specialem morborum chronicorum, et Policlinicum, quod illo duce et Illustr. Osann et Busse floret.

Illustr. Rudolphi, Anatomen pathologicam, Illustr. Rust, de artuum amputatione nec non de morbis syphiliticis audivi. Scholis clinicis in instituto clinico Caritatis chirurgico et ophthalmiatrico interfui.

Cel. Jüngken, Akiurgiam et demonstrationes et exercitationes operationum in corpore mortuo.

Illustr. Graefe, Clinicum chirurgico-ophthalmiatricum frequentavi.

Illustr. Neumann, de morbis psychicis audivi, et in clinico Caritatis medico dux mihi fuit.

Illustr. Kluge, Artem obstetriciam, theoreticam et practicam debeo, idemque exercitationibus in phantomate institutis, nec non in instituto obstetricio praeceptor mihi fuit.

Nunc denique, tentamine et examine rigoroso rite absoluto, spero fore ut, dissertatione thesibusque defensis, summi honores in Medicina et Chirurgia in me conferantur, nihil superest, nisi ut omnibus meis praeceptoribus, viris illustrissimis, amplissimis, experientissimis palam summas, quas possum, agam gratias. Nunquam horum virorum venerandorum memoriam tempus extinguere mihi poterit.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Hydrargyrum in lue sananda cohaesionem non solvit.

II.

Gonorrhoea contagiosa non est syphliticus, sed sui generis morbus.

III.

Calculi biliosi et tubercula pulmonum in multis similia.

IV.

Hydrops nunquam est morbus.

V.

Pancreas glandula est salivalis.